

metarum circa eundem Solem, intelligi inde volui, prorsus non dari quia *natura uno & eodem modo agit*. Syllogismus esse potest talis: Natura semper adeoque etiam in motu magnetico, quo Sol Planetas & terram circa se dicit, eodem modo agit, Natura alicubi non eodem modo agit, nimirum in motu terræ, circa Solem, qui diversus sit à motu quinq; Planetarum, circa eundem Solem. E. Quoddam quod ubique eodem modo agit, eodem ipso in loco non eodem modo agit. Conclusio est absurdā, quippe quæ sibi ipsi contradicat. E. absurdā est vel major vel minor, non major quæ est axioma Physicum, E. minor, quæ sequitur, positō motu terræ Copernicano.

§. 3. Ostendat jam Watsonius, ubi lateat favor ille meus sententiæ Copernicanæ, aut fateatur, sese studio non docendi, sed sine fundamento contradicendi & Studiosos perturbandi, Physicam meam Aristotelicam p̄æ omnibus aliis libris [quos tanto numero citat, ut non tam librum, quam librorum catalogum scribere voluisse videri possit] & quidem tot in locis, & interdum tam odiose impugnandam sibi sumisset.

Quæstio VI.

An motus Planetarum, quo circa Solem ducuntur, Magneticus sit?

§. 1. Verba Watsonii ita habent: *Fictitius est magneticus motus Planetarum, quid magnes interfideret?* Resp. 1. cùm motum magneticum dixerim, Kepplerum secutus, non tam magneticum quam magne-
ticō similem me voluisse intelligi. Repetere ergo prius secum debebat Canonem Dialecticum, *simile non esse idem*, antequam tanti viri [Keppleri] tam gravibus ex causis inventa, quibus meliora nondum attulit, figmentis, h. e. mendaciis, annumeret. 2. Quòd in Physica mea Aristotelica ad finem Theorematis XX. adjeci hīc repeto, cessurum me cum hac sententia ei, [sive Watsonio sive cuivis alii] qui meliorem sive evidenterem rationem motuum cœlestium reddiderit; nominatim quoad hanc apparentiam, quòd Planetæ simul & semel moveantur, ab ortu ad occasum, ad regulam æquatoris & circa Solem & ab occasu in ortum, neutrum tamen exactè, sed cum quadam deviatione [in se tamen itidem regulari] nunc ad Meridiem, nunc ad Septentrionem, ad normam orbitæ propriæ, &c.

C 2

§. 2. So-